



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Titvlvs VIII. De Avctoritate, Et Vsv Pallii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

NOTANDVM II. Et si vnus Episcopatus altero ditior sit, non ideo censeretur debet dignitatis maioris, sed paris.

QVÆRITVR: Quidnam conferat gratia dispensationis, si Episcopo alicui fiat, v. g. vt ad alterum Episcopatum transire, vel alterum, priore retento, accipere possit? Respondet: Id ipsi confertur, vt proinde ac si electus esset, dummodò maior pars Capitularium in eum secundum formam canoniceam suffragia direxerint, in postulatione de

se factam consentire, sibi que ius acquirere possit; ita vt Superior (qui iam plerumque est Papa) eum vi dati priuilegij, confirmare teneatur, si aliud canonicum impedimentum non reperiat. Quamobrem talis vocatio per suffragia secundum effectum instar electionis censeretur debet: quamuis tutius sit, vt Capitulares retineant nomen postulationis: quia saltem spectata origine talis postulandus est, non eligendus. Ita colligitur ex textu, & notat hic Innoc. n. 3.

## TITVLVS VIII. DE AVCTORITATE, ET VSV PALLII.



UM in præcedentibus Titulis dictum fuerit de modis acquirendi Episcopatum; adiicitur tit. iste de auctoritate & vsu pallij, quod præcipuum, seu Archiepiscoporum insigne est. Eius figuram describunt Abbas hic in rubr. Syl. ver. pallium, quod sit vestis alba in circuli modum, pectus & humeros circumdans, ac quatuor nigris crucibus distinctum, anteriore parte nonnihil dependens.

### CAPITVLVM I.

#### Cum super.

#### PARAPHRASIS.

Verba, quæ in forma traditionis pallij habentur, Tradimus tibi pallium, vt eo intra ecclesiam tuam vtaris, ita intelligi debent, vt liceat Archiepiscopo in omnibus provinciæ suæ ecclesijs pallio vti. Sin autem extra ecclesiam sit, quamuis alijs factis vestibus indutus, v. g. in processione

solemni, pallium gestare non debet. Ita Clemens III. in hoc c.

#### SUMMARIUM.

1. Intra quamuis ecclesiam suæ provinciæ Archiepiscopus vti pallio potest, non extra.
2. Competit hoc ius pallij summo Pontifici; Patriarchis & Archiepiscopis, si instanter petuerint, à Sede Apostolica mittitur; denique etiam Episcopis quibusdam ex speciali priuilegio.
3. Non potest hac pallij transmissio impediri per obiectionem criminis aut defectus, nisi obijciens promptam fidem faciat, seu obiectionem legitime præbet.
4. Archiepiscopus consecratus extra ecclesiam suæ provinciæ, ex commissione Archiepiscopi vel Episcopi exercere potest episcopalia, v. g. Ordines conferre, antequam pallium acceperit.

NOTANDVM Vn. Licet nomine ecclesiæ Episcopalis, Cathedralis plerumque intelligatur, tamen in materia hac fauorabili, & nemini præiudicante, in priuilegio quod Archiepiscopo conceditur, vt in eccle-



sua sua pallio vtatur, comprehenduntur omnes ecclesie intra totam eius prouinciam, etiam locorum exemptorum, vti hic docet Abb. n. 2. Stephanus Quaranta in Summa Bullarij, ver. Archiepiscopus, auctor. 3. 2. §. Notandum.

2. **QVÆRITVR I.** Quibus competat hoc pallij ornamentum? Respondeo: In primis Summo Pontifici, vti habetur infra, c. ad honorem. Deinde Patriarchis reliquis, & Archiepiscopis: quibus Papa confert, si instantèr petuerint, c. prisca, c. rationis, & seqq. d. 109. vbi Gregor. I. ait, se vnà cum pallio transmissio, priuilegia omnia Andree Archiepiscopo in Epyro confirmare, quæ antecessores sui concesserant. Sed antequam pallium accipiat Archiepiscopus, debet fidem Catholicam, & erga Sedem Apostolicam subiectionem, obedientiamq; iuramento profiteri, c. optatum, ead. d. & c. significasti 4. de elect. Denique etiam Episcopis quibusdam speciali priuilegio pallium à Sede Apostolica mittitur, quos refert Hostiensis hic n. 3. Azor. tom. 2. lib. 3. c. 24. q. 3.

3. His adde, quod in extrauag. Ioannis XXII. inter communes, sub eod. tit. habetur; Pallij transmissionem impediri non posse per obiectionem criminis, aut defectus, nisi obijciens promptam fidem faciat, id est, intrabimestre spatium, interposito iuramento, obiecta legitimè probet.

**QVÆRITVR II.** Si Archiepiscopus extra prouinciam suam à diocesis Archiepiscopo rogetur, vt sacros ordines cõferat, vel ecclesiam consecret, quomodo id agere debeat. Respondeo. cum Hostiensis hoc tit. §. Et quoloco, in fine. Debet id agere Pontificalibus indutus, præter pallium, quod ipsi extra prouinciam suam induere non permittitur. Neque obstat, c. quod sicut, 28. §. præterea, de elect. Non enim ibi dicitur, quod Archiepiscopus, quæ eo loco enumerantur, exercere non possit sine pallio (alioquin nec Concilium conuocare posset, nisi pallio indutus, quod constat falsum esse) sed quod ea exercere prius non possit, quam

pallium acceperit, sed neque Archiepiscopus appellari possit. Præterea valde creditibile est, Archiepiscopum consecratum, antequam pallium acceperit, ex commissione alterius Archiepiscopi, vel Episcopi in diocesi eius, episcopalia exercere posse, v. g. ordines conferre, quia apparet, quod id non agat vt Archiepiscopus, sed vt simplex Episcopus: vti Hostiens. l. cit. obseruauit. Contrarium tamen resoluit Abb. in c. ex tuarum, n. 10. hoc tit.

## CAPITVLVM II.

### Ad hoc.

#### S V M M A R I V M.

1. Non potest Archiepiscopus alteri Archiepiscopo pallium commodare.
  2. Pallij vsus habet se instar priuilegij personalis, sed cum restrictione ad locum.
  3. Si Archiepiscopus ad alium transferatur Archiepiscopatum, & alius in locum eius substituatur, uterque nouum pallium petere debet.
- Interim Archiepiscopus translatus pallium secum feret, non vt eo utatur, sed vt cum eo sepeliatur.

**Q**uæsitum fuerat ex eodem Clemente III. vtrum Archiepiscopus alteri Archiepiscopo pallium commodare possit? Ad id neganter respondit, quia pallium personæ conceditur, tanquam priuilegium eius, cum quo etiam sepeliri debet.

Adde, quod dictum est c. præced. Archiepiscopo prohibitum esse pallij vsum extra ecclesias suæ diocesis: Ergo frustra illi commodabitur pallium alienum.

**NOTANDVM Vn.** Pallij vsus habet se instar priuilegij personalis; sed cum restrictione ad locum. Conceditur enim personæ cum ordine ad ecclesias propriæ diocesis.

Obijcies: Pallium debetur dignitati Archiepiscopali, saltem ex gratia generali. Ergo potius inter realia, quam personalia priuilegia



allegia numerari debet. Respondeo, distinguendum esse inter ius pallij petendi, ipsumque pallium & vsu eius. Ius pallij, à Sede Apostolica petendi, secundum canones adhæret dignitati Archiepiscopali; ideòque inter priuilegia realia rectè numeratur, quia ad successorem quemlibet transit.

At verò concessio pallij fit personæ, ita vt vsus eius alteri communicari nequeat, sed cum persona extinguitur. Interim verò persona, cui pallium ratione dignitatis ecclesiæ suæ conceditur, attendere debet ad priuilegia ecclesiæ suæ, vt pallio vtatur, sicuti alij antecessores sui. Qua ratione Gregorius I. Pontifex lib. 4. epist. 54. ad Ioannem Episcopum Rauennæ scribit, si in ecclesia eius mortis fuit, vt aliquoties, videl. quater in anno, liceat Archiepiscopo extra ecclesiam in litaniis publicis pallio vti, se ipsi hoc priuilegium non auferre; licet alioquin secundum canones pallij vsus solum in ecclesia permissus sit.

Corollarium. Si Archiepiscopus ad alium Archiepiscopatum transferatur, & alius ei substituitur, vterque nouum pallium petere debet: quia pallium, cum sit personæ datum, non transit ad successorem, vt supra dictum. Et cum sit datum personæ cum ordine ad certæ diocesis ecclesias, ideò extra ecclesiam illam translato inferuire nequit, vti constat ex c. bone. 4. in fine, de postulat. Prælatorum. Monent autem hic Ioan. Andr. & Abb. n. 7. quòd Archiepiscopus translatus pallium secum deferat, non vt eo vtatur, sed vt cum eo sepeliatur. Qua de re Innoc. hic, vbi monet, quòd talis Archiepiscopus cum vtroque pallio sepeliendus sit, ita tamen, vt posterius acceptum alteri superpositum sit, vel, secundum quosdam, quòd & conuenientius videtur, vno tantum induatur, quòd posterius acceperat, alterum autem subijciatur corpori, aut capiti eius.

## CAPITVLVM III.

Nisi.

## PARAPHRASIS.

Troianus Episcopus postulatus fuit ad ecclesiam Panormitanam, Legatus à latere.

non requisitâ prius Sedis Apostolicæ sententiâ, dedic ei transeundi facultatem: is translatus, & receptus mox Archiepiscopum se appellauit. Id postea resciscens Innoc. III. scripsit ad Legatum; Tametsi postulatio dicti Episcopi à Sede Apostolica approbata fuisset, quòd tamen Archiepiscopum se nominare nõ debuerit, priusquam pallium à Sede Apostolica accepisset, in quo Pontificalis officij plenitudo, cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur. Monet autem Legatum Pontifex, vt rem gestâ ita studeat palliare, seu tegere, vt id in confusionem suam, & Sedis Apostolicæ opprobrium nõ redundet. Quòd si verò necesse sit, vt vel Legatus confundatur, vel Pontificia potestas detrimentum patiat, potius permittenda erit confusio Legati: dicendo videl. Malè egisse Legatum, quòd Episcopum sine Pontificis auctoritate transfulerit, & Archiepiscopum appellari permiserit, pallium à Sede Apostolica nondum recepto.

## S V M M A R I V M.

1. Archiepiscopus ante acceptum pallium non obtinet plenitudinem officij Archiepiscopalis, ita vt actus iurisdictionis maioris ipsi proprios, v. g. Concilium prouinciale conuocare, prouinciam visitare, ei non liceat, vti nec actus Ordinis, qui intra Missarum solemnias, aut saltem cum episcopalibus ornamentis peraguntur.
2. Licitum est veritatem dissimulare; nunquam autem falsitatem simulare.
3. Legatus & quilibet Officialis tueri domini sui honorem debet, & potius suam, quam publicam auctoritatis dampnum permittere.

NOTANDVM I. Archiepiscopus ante acceptum pallium à Sede Apostolica, non obtinet plenitudinem officij Archiepiscopalis; id est, non omnia exercere licitè potest, quæ ad Archiepiscopum spectant, tametsi electus, confirmatus, imò & consecratus sit. Qua in re ita distingue post Hostiensem n. 1. Azorto. 2. lib. 3. c. 24. q. 5. Vel agitur de actibus.



bus iurisdictionis, tum dic, quod actus maiores, cuiusmodi est v. g. Concilium provinciale convocare, exercere non possit acceptum palliū, c. quod sicut 28. §. Præterea, de elect. At verò alios actus iurisdictionis v. g. causas audire, delegare, iudices creare, ordinandi, consecrandi potestatem dare non prohibetur, vti colligitur ex c. suffraganeis, 11. de elect. Vel agitur de actibus ordinis; tunc distinguitur: quæ ab Archiepiscopo inter Missarum solemnias, aut saltem cum Episcopaliibus ornamentis peraguntur, vti sunt ordinare, chrisma conficere, ecclesias consecrare, talia exercere non debet ante acceptum pallium, cit. c. quod sicut, §. Præterea: Quia ea non vt simplex Episcopus, sed vt Archiepiscopus facere censetur, cum tamen ante pallium acceptum, quo plenitudo Episcopalis officij designatur, pro Archiepiscopo se gerere non debeat. Quos verò actus ordinis Archiepiscopus stolâ tantum indutus exercet, vt si vasa sacra, aut cæmeteria benedicat, talia peragere potest, priusquam pallium acceperit.

2 NOTANDVM II. Licitum est quandoque veritatem palliare, seu dissimulare; sed falsitatem simulare nunquam licet; cum id species quædam mendacij sit. Qua de re dixi lib. 2. Th. mor. tr. 1. c. 11. n. 2. §. Porro, & lib. 4. tr. 3. cap. 13.

3 NOTANDVM III. Legatus & quilibet Officialis publicus Domini sui honorem defendere debet, & potius priuatum damnum permittere, quam vt publicæ potestatis, & auctoritatis diminutio fiat: quia bonum publicum præferendum est priuato.

## CAPITVLVM IV.

## Ad honorem.

## PARAPHRASIS.

Solus Pontifex Romanus in omnibus Missarum solemnias vbique locorum pallium gerit, ad significandum ecclesiasticæ potestatis, quam gerit, plenitudinem. Alij autem, quibus pallium concessum est, eo

nec vbique, nec semper in Missarum solemnias vtuntur; sed in ecclesiis tantum suis, & certis diebus: quoniam in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis vocati sunt.

## SUMMARIVM.

1. *Vsus pallij tantum esse debet inter Missarum solemnias.*
2. *Et certis diebus solemnibus iuxta consuetudinem cuiusque ecclesie Metropolitanæ.*

NOTANDVM I. Pallij vsus secundum canones esse tantum debet intra Missarum solemnias, vti etiam habetur in c. pallium, & c. contra, d. 100. & docet Hostiensis n. 6. Tria bona, ver. pallium.

NOTANDVM II. Pallium, quod Archiepiscopo mittitur, de corpore B. Petri acceptum dicitur, non quod necessariò benedicendum sit super altari eius (vti Gl. existimauit c. significasti 4. de elect. ver. assumuntur, cui hic contradicit Hostiensis n. 3.) sed quia significat veluti particulam potestatis ecclesiasticæ, deriuatam ex plenitudine potestatis Pontificiæ, vti colligitur ex cit. c. significasti.

QVÆRITVR hic: Quinam sint ij certi dies, quibus Archiepiscopo permittitur esse pallio vti in ecclesiis sibi subiectis? Respondeo. Eos numeratos esse hic à Gl. ver. ad honorem, Hostiensis §. Et quibus diebus. Vno verbo dici potest; Pallio Archiepiscopum vti posse in diebus solemnibus, spectata consuetudine cuiusque ecclesie Metropolitanæ;

## CAPITVLVM V.

## Ex tuarum.

## PARAPHRASIS.

Compostellanus Archiepiscopus supplicauit Innoc. III. Pontifici, vt extra provinciam pallio vti per Apostolicæ Sedis indulgentiam ipsi concederetur; propterea quod frequenter extra provinciam ob ecclesie sue negotia commorari debeat: & in hi-



in Hispania generalis consuetudo existat, ut Archiepiscopi etiam extra prouincias suas pallio indifferenter vtantur. Respondet Pontifex, Tamen si talis consuetudo dicenda potius sit corruptela, nihilominus ex gratia speciali indulgere se Archiepiscopo Compostellano, ut, si necessitate occurrente ordinationis Clericorum, vel Episcoporum consecrationis faciendæ, ad ecclesiam sibi subiectam tunc accedere nequeat, sed ad alienam se conferre cogatur, pallio vti ipsi liceat; dummodo is, ad quem ecclesia pertinet, id permittat.

## SUMMARIUM.

1. Non valet consuetudo, ut Archiepiscopus sine privilegio speciali pallio vtatur extra prouinciam suam.
2. Privilegium alicui concessum ita interpretandum est, ut alijs non fiat praeiudicium.

**NOTANDUM I.** Non valet consuetudo, ut Archiepiscopus, sine privilegio speciali, pallio vtatur extra prouinciam suam. Ratio est: Quia pallij concessio expressis verbis ad prouinciam limitatur: *intra ecclesiam suam eam vtatur*. Ergo contra primam pallij institutionem est, & contra proprios concessionis limites, si pallij vsus extra prouinciam extendatur.

**NOTANDUM II.** Privilegium alicui concessum ita interpretari oportet, ut alijs praeiudicium non generetur. Videl. Privilegium Archiepiscopo concessum, ut pallio in prouincia aliena vti ipsi liceat, explicari debet, si Prælati eius loci, consensum præbeat. Sed cuiusnam consensus hoc casu requiritur? Respondeo cum Abb. h. c. n. 1. & c. seq. n. 3. Si Archiepiscopus in aliena diocesi Clericos ordinare velit, in primis consensum habere debet proprii Episcopi; ne eius iurisdictionem inuadere censeatur. Deinde, si pallio vti velit inter ordinandum, necessaria ipsi est licentia Metropolitanæ: cum enim is pallium acceperit tanquam privilegium personale protota prouincia, seu om-

nibus ecclesijs prouinciæ suæ, sequitur, si alius Archiepiscopus in tali ecclesia pallio vtatur, id cedere in diminutionem iuris illius, nisi consensum præbuerit.

## CAPITVLVM VI

## Cum sis.

## SUMMARIUM.

1. In qualibet ecclesia sua prouincia Archiepiscopus, permissis diebus, Missam celebrans vti pallio potest.
2. Eodem vti posse videtur extra ecclesiam sub dio celebrans ob populi multitudinem, quam ecclesia non capit.

**N**on tantum in ecclesijs Cathedralibus, sed etiam in alijs prouinciæ suæ ecclesijs Archiepiscopus in diebus solemnibus inter Missarum solemniam pallio vti potest.

**QVÆRIT** hic Ioan. Andr. Quid si Archiepiscopus sub papilione in castris, aut in domo priuata propter necessitatem celebret, vtrum pallio vti possit? Videtur enim affirmandum arg. huius c. propter verbum *vbicumq;*. Sed Ioan. Andr. & alij negant. Quia iura iuribus concordare oportet, c. cum expediat, 29. de elec. in 6. Constat autem ex c. 1. vsus pallij ad ecclesias restringi: Ergo illud *vbicumq;* celebraueris explicari debet, in quacunque tuæ prouinciæ ecclesia celebraueris.

Arbitror tamen, si ob hominum multitudinem, quam ecclesia capere non potest, præforibus eius altare extruatur portatile, quod in eo Archiepiscopus celebrare possit solemniter cum pallio. Quia eius, quod per accidens in aliquo casu contingit, ratio haberi non solet. Atque hæc celebratio veluti subrogatur in locum eius, quæ in templo fieri deberet, ut proinde eisdem privilegijs gaudeat. Spectanda verò etiam in hac re est ecclesiæ cuiusque consuetudo.



## Quia nos.

## S V M M A R I V M.

1. *Sine pallio & sandalijs potest Archiepiscopus celebrare.*
2. *In aliena diœcesi celebrans Missam vti isdem potest, non petita licentiâ proprij Episcopi iuxta probabilem sententiâ; contraria tamen viget consuetudo, in Germania saltem.*
3. *In Missa pro defunctis Archiepiscopo pallio vti non licet, nisi in priuilegio expressum sit, vsus ei concessum in tali Missa.*

**A**Rchiepiscopus quidam inter alias quæstiones proposuit Honorio III. Vtrum tam in sua, quam in aliena diœcesi celebrare possit absque pallio, & sandalijs. Deinde vtrum licitum ipsi sit pro defunctis cum pallio celebrare. Ad i. q. affirmatiuè respondet Honorius: Quia nec in sua diœcesi Archiepiscopus pallio semper vti debet, sed ijs tantum diebus (videl. solemnibus) qui in ecclesijs suæ priuilegijs expressi sunt. In aliena verò diœcesi pallio vti non debet, nisi speciale priuilegium habeat: & tamen nihilominus Missam celebrare potest.

2. Sed numquid in aliena diœcesi celebrans Missam, sandalijs, alijsque Pontificalibus insignibus vti potest, etiam non petita licentiâ proprij Episcopi? Eadèmq. quæstio procedit de Prælati benedictis, vtrum Pontificalibus in aliena ecclesia vti possint absque licentiâ Prælati. Hanc q. tractat Gl. in Clem. Archiepiscopo, de priuilegijs, & cum Hostiensi tenet sent. affirmatiuam, contra Innocent. in hoc c. Quia insignia Pontificalia spectant quodammodo ad celebrationem Episcopi: vt sicuti Missam celebrare in aliena diœcesi Episcopo concessum est, ita etiam insignibus Episcopalibus vti, vti docui etiam lib. i. tr. 4. c. 5. n. 5. in fine. Qua simili ratione

docent DD. apud Angel. ver. priuilegium, §. 4. quòd priuilegium concessum Episcopo tempore interdicti Missam faciendi, explicandum sit, quòd in Pontificalibus possit: quia hic est proprius eius sacrificandi modus. Idèmq. inter alios docet Augustinus Barbosa de offic. Episcopi, p. 2. allegat. 27. n. 64. addens, quòd Episcopus in aliena diœcesi populo solemniter benedicere possit, etiam absque ordinarij Episcopi consensu: quia iste est actus ordinis, non iurisdictionis. Hæc sententia est probabilis. Sed aduerto imprimis, contrariam vigere consuetudinem, saltem in nostra Germania; non enim solent Episcopi in diœcesi aliena; aut alij Prælati in ecclesijs sibi non subiectis sacrificare in Pontificalibus, multò minùs actum Pontificalè exercere, v. g. solemnem benedictionem dare, nisi accedat cõsensus Episcopi ordinarij, vel alterius Prælati, si v. g. Abbas in alieno Monasterio celebret. Et consentit huic consuetudini, c. Abbates, de priuileg. in 6. & cit. Clem. Archiepiscopo. Ad rationes in contrarium responderi potest: Insignia Pontificalia v. g. pedum, anulum, non significare tantum ordinem & dignitatem episcopalem: sed etiam iurisdictionem, maxime si accedat solemnitas populi benedictio: quare hæc competunt Episcopo, vel alteri Prælato non simpliciter, sed cum ordine ad ecclesiam, vel diœcesin suam. Ex quo sequitur, quòd Episcopus, qui renuntiauit Episcopatu, Pontificalia exercere non possit, absque Apostolicæ Sedis licentiâ, arg. c. de renunt.

Alia quæstio Innoc. proposita erat, vtrum in sacrificio pro defunctis Archiepiscopum pallio vti oporteat. Responso est negatiua; nisi in priuilegio expressum sit, vt in Missa pro defunctis pallio vti liceat: alioquin solùm in solemnibus diebus, quibus Archiepiscopus pro defunctis non celebrat, pallio vti debet. Hæc videtur esse mens

Gl. Innoc. Abbat. & aliorum hic.